



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

3. De tertio Apostolicæ vocationis munere, perficiendi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

rum, & transferre in Dei lumen & cognum? Gratitude, zelus peccatores conuertendi.

III. De tertio Apostolica vocationis munere, perficiendi.

*Matt. 3.* **N**on potest ciuitas abscondi super montem posita. Expende terrium precipuum munus vocati ad statum Apostolicum, esse omnes suae curae commissos perficere, seu ad insignem altissimae cum Deo vnionis, & voluntatis propriae cum diuina conformitatis gradum, verbo, exemplo, auxilio pro talentorum sibi concreditorum mensura promouere: quod vt assequatur, opus est, vt ipse instar ciuitatis supra montem positae, quae ab omnibus facile & videri & adiri queat, prius eximia cum Deo coniunctione, & cum diuino beneplacito consensione emineat, in exercitijs deuotionis, charitatis, zeli gloriae Dei & salutis animarum pie perfecteque frequentandis, omnibus praeluceat, & odore exemplaris conuersationis omnes ad se trahat. Quomodo enim alios igne perfecti amoris Dei & proximi accendet, nisi ipse eodem ardeat? quomodo alios ad



ad intimam eum Deo familiaritatem  
perducat, nisi ipse in eadem excellat?  
ac proinde sibi dictum intelligat illud:

*Supra montem excelsum ascende tu, qui* *Isa. 49.*

*euangelizas Sion: exalta in fortitudine  
vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.*  
quod quo pacto præstabit, nisi excelsa  
& insigni sanctitate intus fulgeat, a-  
lijsque foris eadem præluceat? Stu-  
dium proprij alienique profectus in  
omnimoda perfectione viæ vnitiuæ  
propria.

II. Quam perfectè hæc duo Christus  
supremus huius perfectionis Doctor  
præstare curarit, vt & absolutissimam  
iudicij & voluntatis suæ semper & in  
omnibus eum æterni Patris decreto &  
beneplacito conformationem, per as-  
siduos amoris, resignationis, deuotio-  
nis actus sublimissimo modo conti-  
nuaret, & exemplo suo eandem omni-  
bus efficacissimè inculcaret; idq; tota  
vita sublimissimæ contemplationi va-  
cans, inter prædicationis labores in  
oratione non rarò pernoctans, inter  
persecutionum, opprobriorum, tor-  
mentorum procellas immobiliter di-  
uinæ Patris voluntati adhærens. Zelus  
in his Christum æmulandi.

III. Quale in hac vita mentis tripu-  
dium

M m

dium



dium diuinitus communicari solet  
ijs, qui proximorum eximia perfe-  
ctioni, & cum Deo coniunctioni tam  
verbo quam exemplo promouenda se  
totos impendunt; quale in altera ex-  
traordinarium gaudium, quod perci-  
pient ex intuitu tot spiritualium filio-  
rum tam eximie Deum tam in tempo-  
re quam in æternitate glorificantium,  
quod vnicum est eorum votum, vni-  
cum solatium. Feruor constans in se  
alijsque maiorem cum Deo vnionem  
promouendi.

## IV.

## De excellentiâ legis Euangelicæ.

Matt. 5.

I. **N**olite putare, quia veni soluere le-  
gem, aut prophetas, non veni soluere,  
sed adimplere. Christus legifer noster  
nouæ legis perfectionem promulga-  
turus, ostendit se non venisse ad im-  
plendam & perficiendam veterem le-  
gem: quod præstitit tripliciter. 1. Il-  
lam exactissime obseruando. 2. Quæ  
illa promiserat, abundantissime præ-  
stando. 3. Quæ illi deerant, perfectis-  
sime supplendo: ideoque addit: Qui  
soluerit vnum de mandatis istis minimis,  
minimus vocabitur in regno cælorum, qui  
autem